

## RUDOLPHI IMPER. &amp; REGIS DECRETUM XIII. ANNI 1602.

*Praefatio: In qua Status et Ordines Regni, ob spem levendarum miseriarum eis factam; pro Campestri exercitu hujus Anni, duo millia equitum levis armaturae et totidem peditum millia humiliiter offerunt.*

## Articulus 1.

§. 1. Nihilominus, quia per Suam Majestatem Caesaream, Dominum ipsorum Clementissimum, non minima spes ei datur, tollendarum ejusdem miseriarum, atque aerumnarum; ne sibi in praesentibus suis necessitatibus penitus deesse videantur; offerunt Status et Ordines in subsidium continuationis belli, praesentis Anni, ad sex menses, extra subsidium Sclavoniae et Liberarum Civitatum taxam; duo millia equitum levis armaturae et totidem peditum millia, pro Campestri exercitu.

*Quantum Turcis subjecti coloni: Sic etiam Sclavoniae Regnum solvere: Quo  
subsidiū illud converti debeat? Et de ratione illius reddenda.*

## Articulus 7.

**D**e colonis Turcis subjectis, idem constituitur, quod praecedentibus Annis est de illis sancitum; ut nimirum dimidietatem subsidiū solvant:

§. 1. Sclavonia quoque solvet juxta eorum consuetudinem, dimidietatem subsidiū:

§. 2. Et convertent eam ad proprios ejus Regni usus ac necessitates:  
§. 3. Et reddent rationem. \*)

*De celebrandis in Sclavonia Octavis.*

## Articulus 22.

**M**andare quoque dignetur Sua Majestas Caesarea atque Regia; ut in Sclavonia circa Epiphaniarum Domini, aut alio tempore, quo commode fieri poterit, Octavae celebrentur: Quae si tamdiu durare non poterunt, quam diu antea; durent prout visum fuerit.

§. 1. Videtur autem hoc loci Majestati Suae Caesareae ac Regiae clementer; ut propter varias, quae in dies emergere solent, potentiorum violentias et injurias, non solum Sclavoniae, sed Inlyti quoque Regni sui Ungariae, quoad Judiciorum Octavalium celebrationem, debita ratio habeatur; illaque omnino, post tot exactos jam annos, in usum revocentur ac celebrentur.

§. 2. Atque si propter bellicas occupationes, binaria vice, uti antea solitum fuit, celebrari nequirent; statuit tamen Majestas Sua Caesarea benigne, atque Regiae suae potestatis plenitudine decernit, ac omnino clementer vult; ut dicta Judicia Octavia, in Ungaria hoc anno, si propter imminens bellum ad

\*) Renovatur; An. 1603. art. 6. An. 1604. art. 2.